G. & P. in Dno. Certa erat praedestinatio mea, ut hodie Lipsiae essem, unde ad te scripturus essem, Optime & Rev. Pr. pro equitibus. Nam cum nihil minus sperassem quam ut mitteres equites in occursum usque ad Dibon, volui statim uno die Lipsiam petere. Nam si literae meae nondum ad te venerunt, quas D. Bruck Nuntio principis dedit ut per eum ad te ferret. Scito principem statuere ad minus post quindenam in ipsa Zeitza. Ubi simul D. Bruck & ego apud te erimus, ut mihi D. Bruck ex principe narrat. In qua re mos est gerendus principi ne contemptus videatur. Ego operam dabo ne differatur sed acceleretur adventus meus ad te. Quare patientiam habebis. Existimat D. Bruck non esse tutum propter Aratros qui recenti quodam paroxysmo cum principe exacerbati putantur aliquid moliri in vindictam vel contumeliam principis. Ideo non tentandus Deus. Sed Christus firmabit nostrum Conventum. In quo vale optime. R
4 in pentecoste Vesperi [illegible] acceptis literis 1544

T. D.

Deditus

Martinus Luther D